



Hif. Cir. Sax. Super. 59

ONOMASTERIA SACRA,

IN
AUGUSTISSIMI, SERENISSIMI atq[ue] POTENTISSIMI
PRINCIPIS ac DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI,

REGIS IN BORUSSIA,

MARCHIONIS BRANDENBURGICI,

S. R. I. ARCHI-CAMERARII

ET PRINCIPIS ELECTORIS,

MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POME-
RANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM,

ITEM IN SILESIA CROSNÆ

DUCIS,

BURGGRABII NORIMBERGFENSIS,

PRINCIPIS HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI,

COMITIS IN HOHENZOLLERN, MARCÆ ET RAVENSBURGÆ,

DOMINI IN RAVENSTEIN ET TERRARUM LAUENBURG

ET BATAU, &c. &c. &c.

DOMINI ac REGIS SUI CLEMENTISSIMI
AUSPICATISSIMO DIE NOMINALI

Die 18. Julii, Anno M. DCCI.

IN ACADEMIA PATRIA,

PANEGYRICIS ORATIONIBUS,

INTER SOLENNES HELICONIS APPLAUSUS,

Accensa

A FRatribus

GEORGIO DIETERICO à TETTAU,

JOHANNEM MELCHIORE à TETTAU,

Nob. Bor.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SAC. REG. MAJEST.
ET ACAD. Typogr. Hæredum.

AUGUSTISSIME atque
POTENTISSIME
R E X
DOMINE CLEMENTISSIME.



On possumus aliter, quam læ-
tissima pietate hujus diei, qui
S. Regiæ Majestatis Vestræ
priimum in novo hoc Regnô diem onoma-
sticum

sticum celebramus , serenitatem conspi-
rante omnium , divina inspiratione , vo-
luntatum , quam solennissime celebra-
re . Quid enim æquius agamus omnes ,
quam ut pio gaudio indulgentes , inter
faustas gratulationes , ac religiosas gratæ
mentis victimas , hunc diem , qui pri-
mus felicitatis hujus nostræque lætitiae
est , solenni festivitate recolamus ? Igno-
scat autem S. Regia Vestra Majestas ,
quod , quæ subjectissima nostra devo-
tio honori Ipsius meditata est , ceu subje-
ctissimi servi ad pedes Ipsius regiumque
deponamus thronum . Ex purissimo
obsequii rivo fluxerunt , quæcunque hic
scripta & recitata videt , seu potius ex eo-
rum pectore , qui non lingua tantum &
atramento , sed & gladio , corpore &
sanguine , pro Augustissimi Nominis
Vestri gloria , quævis experiri parati
sunt . O felicissimos nos , si ea , quæ omnes

patrui

10

patrui & agnati nostri, ex S. Regiæ Ma-
jestatis Vestræ Clementissimo vultu
schemata fortunæ legerunt, & adhuc-
dum legunt, & nos sperare jusslerit. Quod
ipsum optant, & modis omnibus con-
tendunt, qui se suaque omnia, perpetua
subjectione obstringunt.

AUGUSTISSIME AC POTENTISSIME
R E X
DOMINE CLEMENTISSIME
S. REGIÆ VESTRÆ
MAJESTATIS

Subjectissimi & imisis servi

GEORGIUS DIETERICUS à TETTAU,
JOHANNES MELCHIOR à TETTAU.

ORATIO I.
Qua
GEORGIUS DIETERICUS à TETTAU,
DE LAUDIBUS NOMINIS
F R I D E R I C I
Agens,
AUGUSTISSIMO REGI NOSTRO
Nomen & omen inesse demonstrat.



Uid dubitemus post publica nuper Solemnia in honorem diei Genialis *Augustissimi Regis*, ac *Domini nostri* instituta, Onomaticum quoq; OPTIMI FRIDERICI jubar, hâc luce nobis al lucescens, piis gaudiis ac gratulationibus accendere? Qui non modò Sacratissimam Domini Personam, sed omnia, quæcunque Eandem aliquô afficiunt modô, sive insignia, & symbola, sive instrumenta *Ejus Majestatis* fuerint, debitô pietatis, & subjectionis cultu à nobis prosequenda esse didicimus. Si namque, quæ umbram fert, arborem, juxta tritum proverbium, meritò suspicimus, & Xerxes quandam Platanum, cuius pulchritudine captus erat, tantô amore complecti cœpit, ut non solum in honorem ejus, integrô biduô, cum innumerabili suô exercitu castra circa eam metatus furerit, sed & pretiosissima quæque ornamenta colendæ eidem impenderit; Quantò verò magis fidelissimis incumbet subditis, ut omni amoris ac honoris cultu ornent, & quasi adornent, præclaras publici

A

Regi-

Regiminis arbores, concessos ibi à Deo Optimos Reges ac Principes, Eorundemque fructus, quibus nutrituntur, ramos, in quibus nidulantur, umbram, sub cuius tegmine contra hostilium invasionū æstus securi latitant, summis in deliciis habeant, ac, quibuscumque possunt modis, venerentur. È mente summorum Principum imagines contueri solemus, sed simul ut Majestati absenti non secus, ac si præsens esset, omnem reverentiam contestemur. Jàm pristinis temporibus hic honor illis delatus, ut coronis laurōque ornârint, ac adornârint easdem, & Majestatis postularetur ille, qui hunc non exsolvisset cultum, eademque omnibus insideret opinio, ubique Numinia Divinitatis Regum esse, ubi vultus illorum, ubi signa colerentur. Cumque jam pristinis, mundoque coævis ætibus, simulac Republicæ constitutæ, jam id operam dedérunt societatum civilium moderatores, ut splendore aliquo externo venerationem sibi apud subditos conciliarent, & ad hos in officio retinendos, eorundem pariter oculos, & animos, exquisitō cultu, & Majestatem referentibus apparatissimis simulachris perstringerent. Hinc omnia illa, tanquam autoritatis plenissima, oculis intuentium proposita fuerunt, & à cultioribus quibusvis populis etiam reverenter habita. Quod corona etiam, ac sceptrum Regum summâ observantiâ culta fuerint, nisi abunde constaret, vel sola Alexandri Magni historia docere posset, quæ refert, diadema Regium tantâ religione cultum fuisse, ut privatus non nisi cum vitæ periculô capiti suo imponeret, à quâ pœnâ nec ille quidem absolvi potuit, qui istud in flumen prolapsum natandō recepit, & ut commodius

modius efferret, capiti suo imposuit. Duravit de-
inde hæc religio, & ne quidem mortuō cum Rege
exspiravit, post cuius fata statutum erat taberna-
culum, in cōque sella aurea cum ſceptrō, ac dia-
demate posita, quō omnes singulis diebus, ut de
rerum summā deliberaretur, conveniebant, velut
præſente adhuc Rege. Pariter etiam reliqua
Regiæ ſuppelētūlīſ instrumenta ſacrosancta, &
privatorum uſibus profananda non eſſe, judicarunt
mortales, non quaſi in iſpis hæreret qualitas ali-
qua, tantō cultu digna, ſed quia honor illis delatus
terminatur in iſpā ſacrosanctā Regum personā,
quorum & autoritati tali modō consulendum, &
ſecuritas, hōc velut certō quōdam præmunimen-
tō, contra nefarios parricidii ausūs firmando tuit.
Quare apud Persas, ut & fortissimos Romuli ne-
potes capitale judicabatur in Regum confidere
ſellā, eo, quod illud pro ſignō affectati imperii
haberetur. Eandem ob causam Regiō vehi equō
vetitum, & valdē periculoſum tuit. Quod intel-
lexit Aurelianuſ, hinc cum in equum transire
vellet, quia in viſiosum tunc erat vehiculis in ci-
tate uti, & equus Imperatoris ei applicitus, atque
per festinationem ab eō uſurpatus eſſet, illō cogni-
tō, ſemet ad ſuum tranſtulit. Prolixior eſſe poſ-
ſem, ſed inſigni Illuſtris Auditorii patientiā abute-
rer, ſi idem de purpurā, quæ pariter privatorum
uſibus exempta erat, de ſigillō, de gladiō, & armis
Regum fuſius ex historiarum monumentis oſten-
dere ſuſtinerem. Verſor in re omnibus perspicuā,
nec admonenda eſt fideliflma Patria, quō cultu
Optimum Patriæ Patrem, omniaque, quæ ad *Sacram*
Ejus ac Venerandam ſpectant Majestatem, excipere
con-

MILITIA

conveniat. Nunquām auspicatissima Ipsius dies genialis exorta, quin lætis vociferationibus, piisq; vocibus dedicata fuerit, imprimis verò in hâc Albertinâ, cui illa singularis data est felicitas, ut, qui omnibus cœlitus concessus est *Supremus Dominus*, in eâdem quotannis quasi reviviscat. Idem est halitus narium nostrarum, & lumen oculorum nostrorum, quod Anglici Scriptores de Rege suô pronunciant, aut, ut cum Philippô dicamus, semper spiritus noster ex Ipsô pependit, ac vere sacrô, ac venerabiliore trahitur. Eapropter pro Ipsius vitâ ac salute, non secus, ac pro nostrâ nostrorumque, piis semper votis, ac intercessionibus apud Deum contendimus. Arma, quæ gloriosissimè per Europam circumtulit, lauro, & oleis incinximus, Coronam, Sceptrum, aureum pomum, & quæ reliqua *Sacrae Majestatis* sunt symbola, quantâ par est animi devotione, in solemnissimô *Regiae inaugurationis* actu contemplati, ac vel numerica solennitate, hos inter parietes adoravimus. Poscit hoc pietas nostra erga *Inclytissimum Patriæ Patrem*. Poscit hoc *Majestatis* *Ipsius* Virtutum Altitudo singularis, quæ, quanto amplius gloriæ theatrum concendit, tanto ubiorem gratulandi plaudendique occasionem nobis largitur. Unicum restat FRIDERICI *Nomen*, *Regis nostri Augustissimi*, nunquām hic, quantum memini, solemnî cultu inter nos celebratum. *Nomen illud*, quod nonnisi hostibus suis formidabile, Cognatis, sociis, universo *Orbi Brandenburgico*, Domui Augustæ, & nobis semper auspicatum extitit. Qvod, dum audimus, simul & quicquid felicitatis ab eo nomine Patria experta est, auribus, animisque con-

concipimus. Hinc, cum diem nobis dixerit hic
FRIDERICI nomine in fastis serenus dies, non
potest sibi temperare pietas nostra, quin solemnī
cultu illud in præsenti adoremus, ejusque excellen-
tiam, & laudes proponamus. Quod dum insti-
tuere animus est, per vestrum in *Regium hoc Nomen*
amorem, per vestram fidem, ac subjectionem, quā
omnes *Invictissimo Patri Patriæ* addicti estis, vestram
humillimis precibus obtestor benevolentiam, ut
mihi de tam gratâ, omniumq; prædicatione digna
materiâ pro ingenii tenuitate dicturo, exigui tem-
poris mensuram haud denegatis.

Evidem multa, eaque præclara nomina po-
tentissimis terrarum Dynastis fuisse imposita non
diffiteor, nec detrahere audeo. Patiar suam Octa-
viano Cæsarilaudem esse ab Augendō, Neroni à fe-
licitate, Theodorico à serenitate, Constantino à
mansuetudine, Antonino à pietate, Alexandro Se-
vero à bonitate, Aristidi à justitia; Divina ea sunt
elogia, ad quæ humili oratori non licet assurgere.
Magna quoque sunt illa, quæ pluribus impertita
sunt Regibus, ob singularem quandam reportatam
victoriā, & devictos hostes. Nonne enim Scipi-
onem cognominatum fuisse Africanum historiæ
memorant, quoniam dux fatalis contra Hanniba-
lem, totam superavit Africam & Carthaginenses
bello devicit? Valeriano Cæsari quod promptus ad
arma, & bellicosus esset, milites militari studio Ma-
nus ad ferrum, nomen dederunt. Alexander Se-
verus Patris Patriæ, & Magni cognomen meruit.
Trajanus Imperator, cum Dacorum Regem Dece-
balum cum exercitu fugasset, Dacicus appellatus
est. Idem, cum Armenios, Parthosque Romano

B

sub-

subjecisset Imperio, optimus à Senatu cognominatus est. Carolus Pipini filius, quod imperium Francorum extintis ubique hostibus, pacasset, Martelli cognomen tenuit. Otto II. Imperator, viator in præliis frequens, Sanguinarius nominatus. Otto III. propter rerum gestarum magnitudinem Memorableia mundi vocatus. Et ne exotica tantum memorem exempla, veneror illa, quæ in *Augustâ Domo Pruteno-Brandenburgicâ* sese offerunt, illos Achilles, Nestores, Ulysses, & Tullios Germanicos; Non possum tamen à dulcissimo FRIDERICI *nomine* avelli, quod dum altius considero, & Augusti, & felicis, & Sereni, & optimi, & justi, & gemmei, & sideri ac cœlestis Regis characteres video adumbratos. Diversa hæc esse cognomina, si aures metiantur à sono, si animus dijudicet à re ipsâ, eadem omnino esse statuo, & mecum, credo, si recte penderitis, omnes statuetis. Et quod *Augustissima Domus Brandenburgicâ* continuâ serie, *inlytissimos Cicerones Germanicos, Ulysses Brandenburgicos, Achilles, Nestores, Heroës magnos, & tot præclara virtutis nomina, quot Serenissimos Brandenburgicos Principes referat, quanquam Illustrissimi stemmatis indoli permultum, plurimum tamen uni post DEum FRI-DERICO, Regi nostro Clementissimo tribui posse autumo.* Si miramini illos Augustissimæ Familiæ Martes in Sago, Divos in togâ, terrores in campo, amores in urbe, Davides in Templis, Salomones in consiliis, Constantinos in acie, Justinianos in foro: Longè horum nomina superari credite solo FRIDERICI *Regis nostri Augustissimi nomine*, in quo Majorum Ulysses, Tullios, Achilles & Nestores, imò quotquot sunt optima Regum & Principum optimorum cognoscere.

cognomina, velut aureo quodam annulo inserta & impresa judicate. Quod ne audacis eloquentiarum hyperbolam existimetis, agite, amabo vos, propriam FRIDERICIANS significationem recognoscere: quam dulce pacis nomen, quam jucunda & salutaris res ipsa! bonum certe illud, quod reliqua omnia, ut justitia Philosophorum universalis in se complectitur omnes virtutes: Bonum, quo nihil gratius concupisci, nihil melius inveniri, nihil pretiosius possideri potest.

--- Pax optima rerum
Quas homini novissè datum est. Pax una triumphis
Innumeris potior.

Hæc regnum solest, quô omnia vegetantur, foventur, animantur, per quem omnia bona in mortales derivantur: Arbor felix in ipso paradyso manu Dei condita, optimorum fructuum feracissima, publicæ salutis anchora, securitatis ancile, tranquillitatis omnium Palladium, certissimum Divinæ erga mortales benevolentiarum pignus, seu, si placet Augustinum audire: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, amoris vinculum, consortium charitatis, hæc est quæ similitates tollit, bella comprimit, superbos calcat, discordes sedat, cunctis est placida, cunctis benigna. Ut vel hinc quoque linguæ Hebræorum, quam sanctam communiter appellamus, Divinitatem intelligere liceat, cuius ex Genio solennis salutandi formula, quâ accessu vel discessu, amicos suos salutaturi, & omnem animi vel corporis felicitatem illis apprecaturi, solam pacem vovebant, persuasum habentes, commodiorum vocem, quâ omnia bona denominantur, non inveniri. Quid igitur obstat, quo minus liberè dicamus,

mus, FRIDERICI *nomen*, quoties nostris in auribus resonat, dulce quoddam melos resonare, ver quod-
dam gratiosissimum, aut potius auream omnigenæ felicitatis messem nobis afflari, brevemque defini-
tionem *optimi Regis*, cum admirandô virtutum omnium concentu nobis insinuari. Qui enim pa-
cis est amantissimus, quidni idem cum Trajanô me-
reatur *bonus*, *Düsque simillimus Princeps* appellari?
Qui in pace omnia conservare, privatæ publicæque
rei suum decus conciliare studet; Quidni sit *Augu-
stus*? Qui tranquillitatem sartam teatamque con-
servare allaborat, eoq; fine fœderum est observan-
tissimus, nec unquam temerè indicit bella; Quidni
sit *religiosissimus*? Qui pacem per arma quærit; Quid-
ni sit *fortissimus*? Qui arma consilio prudenti diri-
git; Quidni sit *sapientissimus*? Qui conciliat eadem;
Quidni *pius, felix, & fortunatus* dici mereatur?
Opræclarum, & incomparabile FRIDERICI *no-
men*! Plus dicam, A.O. O.H. illud ipsum nimirum
est, cui quasi, quæ in terris excogitantur laudes, es-
sent impares, cœlum addidit præclarum elogium,
suique hujus æstimii non obscurum documentum
esse voluit, quando Salomoni illud ipsum, quod FRI-
DERICUM significat, indidit. At qualis hic, &
quantus Rex? Magnum certè humanæ sapientiæ
miraculum, & Oraculum, cœli discipulus, orbis uni-
versi Magister, sol hominum, thesaurus deliciarum
DEi. Quid? quod Salvator mellitissimus, dum pax
nostra dici, & esse voluit, FRIDERICI simul *nomen*
induit, illudque sanctificavit. Tantum profecto
gloriæ eidem addidit, ut ne fingendo quidem &
votis omnibus sublimius reddi possit. Atq; vel hinc
etiam summam Magni FRIDERICI WILHELMI,
geni-

Genitoris beatissimi sapientiam agnoscimus. Præ-
faga scilicet rerum futurarum divinissima mens in
consilio Dei providentiam habuisse videtur, quan-
do non aliud nomen *Augusto suo Filio* ad maxima
quævis destinato indidit. Felicitas *Augustissimi Re-
gis* est, quod illō fuerit decoratus. Sed simul divi-
nissimis ejus virtutibus debetur, ut qui omnibus
retrò aëris annis, totâque vitâ se non alium quâm
FRIDERICUM gessit. Non semper nominibus
sua insunt omnia. Quot Bonifacios vidi & ado-
ravit orbis, quos verius malefacios & rationales
bestias diceres? Quis Antiochus IV. Syriæ Rex nō
nomen, si consideres Epiphanes, id est, excellens & in-
comparabilis audiebat, qui verò vitiis hanc obfus-
cavit gloriam, & Epimanes i. e. furiosus deinde ap-
latus. Quis Ptolomæus Philopator & alter ille
Philometor dictus? Uterque blandum patris & ma-
tris mentitus nomen. Quis Ptolomæus Everge-
tes, à benefaciendo pulchrum fortitus nomen? Sed
cujus beneficia erant veneficia, risus, luctus, ample-
xus, nexus, quidum amavit, hamavit, dum refe-
cit, interfecit. Quis Commodus Antonini Pii Im-
peratoris filius minimè commodus? de quo rectè il-
lud pronunciatum: felix fuisset Antoninus, nisi hunc
habuisset filium. Adeò frequenter nomina deci-
piunt: aulæa sunt speciosissima subinde, quæ sordi-
diores parietum partes tegunt: Colossis non absi-
milia, qui foris insignes Deum aliquem repræsen-
tant, intrinsecus pleni sordibus ac luto: aut pomis
Sodomiticis, quorum sub purpureo cortice putri-
dus latebat vermis. Absint autem hinc talia por-
tenta. Nihil in *Augustissima Domo Brandenburgica* hu-
jusmodi officiarum. Ibi ERIDERICI non homi-
C nis,

nis, sed virtutis nomen est. Testatur id *Augustissimus Rex noster*, qui ubi nomen induit FRIDERICI, pacificum simul induit Genium. Non contentus nominis umbrâ, ab ipso nomine imitandi necessitatem sibi impositam ratus, ita spem Magni Parentis, ita desideria ac vota omnium subditorum quam plenissime adimplevit, ut non aliud, quod magis placidum ipsius animum repræsentet, inveniri, ac à sapientissimô viro excogitari possit. Illi meliori jure, quam olim Gallus Antipater Aureolo, acclamamus: *Venimus ad verum nominis sui Regem.* Clementia in oculis, in fronte comitas, in ore Gratiæ, in toto vultu serenitas. Ut in solem, stellarum lumen: sic in *Augustissimum nostrum Regem* omnes FRIDERICI, quotquot inter gloriosissimos ipsius sunt Avos & Pro-Avos, suos refundunt splendores, suosque mitis & placidi animi influxus. Natus inter publicos patriæ angores, non aliter ac rosa inter hispidas spinas: sed æque illæsus à publicis istis necessitatibus, ac illa hortorum gemma à condensatis spiculis; aut, ut verius dicam Alcyonis partum se esse statim demonstravit, dum rigente in vicinia immitti Bellonæ hyeme, quicquid exinde horroris & metus Tartarica incursio Borussis afflaverat, simul ac Princeps *Electoralis* in lucem prodiit, hæc resedit & acquievit. Adolevit deinceps; sed qui in Palladis contubernio humanitatem addiscebat, & è Minervæ papillis mitem, placidamque mentem imbibebat. Lusit cum Apolline, bellacemque animalium opportunis Musarum excubiis temperavit. Et quamvis jam à Magnanimo Parente in ipsâ juventute armis assuefieret, qui eundem in expeditionibus bellicis comitem sibi adjungebat, tamen hoc

hoc non siebat aliâ lege, quâm ut ex magni Achil-
lis illius exemplo disceret, bella non provocanda:
ubi vero fese nobis importent, masculè propulsan-
da & elidenda esse. Hæc nimirum erant rudimen-
ta virtutis ipsius, hæc futuri ad regiminis laurus &
oleas, præludia. Nullum quippe victoris Paren-
tis decus suspexit, quod avido æmulandi animo,
ut olim parvo in magnum adolescenti Macedoni,
lacrymas non extorserit, fore nullum ipsi tamam
promerendi residuum locum. Corripuit ipsum
semper gloria molitum, nullumque laudis & lu-
cis incrementum paternis cursibus non insequen-
tem *Filiū* divinus animi fervor, ab ipso Parentum
ubere haustus; gloriosum hujus Miltiadis trophæ-
um suum hunc Themistoclem excitabat, & memi-
nisse, tanto nomini ex asse tunc se succelurum,
cum virtutem cerneret, instigabat. Quanquam
his ego *Placidissimi FRIDERICI* Genium non disti-
nebo, ne hilaria hujus diei, dum pacem medita-
mur, tristi ferreorum temporum recensione obnu-
bilemus. Nec refricabo tristissima illa Germaniæ
comunis honorū omnium matris fata, inter quorum
rigidissimam fortem summæ rei & Sceptro Bran-
denburgico admotus est, quæ tamen, quantumvis
accuratissimè expendantur, dubiam nihilominus
versat sententia mentem: utrum Achilles potius
Germaniæ, immaniumque ferarum domitor Her-
cules, an Angelus pacis dici mereatur? Omnipotens
FRIDERICUS fuit, etiam, cum in armorum pon-
dere pugnandum, & propugnanda erat amantissi-
ma Germania. Namcum finis belli pax sit, paci-
ficus erat, qui pacem armis, & per arma promo-
vebat, pacem, inquam, auro in hoc non absimi-
lem,

lem, quæ sine ferro difficulter erui, & acquiri, conservari certè nunquam tuta possit. Leni nominis oleo, quicquid rubiginis bellicosæ fuit, abstersit, quicquid fluctuum hostilium fuit, hoc oleo sedavit. Per tumultus omnes ad justitiam ivit, ad æquitatem & concordiam, atque sic inter lituos litavit paci. Non aliâ mente Jani templum aperuit, quâm ut clauderet. De hoste cogitavit, quasi de ægro, acrioribus remediis persanando. Et utinam ille lenioribus pharmacis curari voluisse! Sed quando contra jus fasque Gentium stetit pervicacious, vincendus, secandus, urendus erat, non ut exterminaretur, sed, ut convalesceret. Attritus erat; non insultabat cum Sociis *Rex noster*: Audiri postulabat; audiebat: conditiones offerebat & pacem; quidni ignosceret? Quidni pacem amplectetur, & pacem afflictis redonaret terris? Parata ipsius vox, quæ Hannibal is in Cannensi clade: parce ferro miles. Cum Marcello, etiam extra Syracusas ardent es flamas concupivit extinguere, ad prostrata hostium cadavera, cum Tito cœlum intuens ingemuit. Quid alias est, si hoc non est FRIDERICUM esse, & patriæ patrem benignissimum? Dinducerem hoc uberioris, nisi Poeta unicō Oraculō omnia complexus fuisset:

*Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo,
Hæc summa virtus, petitur hac cœlum via.*

Atque hac virtute dum Germaniæ afflictæ veluti iris serenitatis pronuncia alluxit, terris ac regionibus suis longè patentibus, velut serenissimus sol afulsit, *aureus noster FRIDERICUS*. Qui enim foris arma

arma induerat, domi quietum & tranquillum ha-
buit imperium: Christianus Salomo noster, in cu-
jus sceptro appicata pacis symbola: Spica, rosa, lau-
rus, olea, cum hac epigraphe:

Mecum honor & laudes, & læto gloria vultu

Et decus, & niveis victoria concolor alis.

Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus.

Cadabant & cædebantur alibi aliquot millia homi-
num, totidemque victimæ Plutoni litabant; Ast
quasi ad patriæ omniumque Regis territoriorum
fines Abylā & Calpen tumidus invenisset Occidens,
non ultra progressus est. Clasticum & mugitus tor-
mentorum, non nisi interprete fama audivimus.
Alibi sanguine, hic lacrymis modo paci parenta-
batur. Fuit omni tempore clypeus noster FRI-
DERICUS, quō patriæ felicitas salvata, Civium
bona salusque protecta, hostium rabies repressa,
novus frendenti contra nos audaciæ metus & lu-
dibrium injectum, omnia salva extitere. Alibi fa-
villis suis tumulatæ urbes, devoratæ Vulcano do-
mus; In patria nostra, aliisque Regis nostri territo-
riis, magis magisque nitida quotannis consurgunt
ædificia, nova exstruuntur palatia, quæ si non mi-
racula, orbis tamen sunt lumina. Hæc dextra,
Rex potentissime, quæ Tibi nunc regali emicat sceptro,
Urbes hinc inde reddidit marmoreas, quum vix
lateritiæ fuerint antea. Hæc Corona Tua, antemu-
rale nostrum fuit: Hoc Caput, quod Tibi diadema
premit, illa sapientiæ, & saluberrimarum legum
fuit officina, quibus, sicut fecisti fidelissimos sub-
ditos tutos ab hostili incursione, ita validissimis
quibusdam quasi vinculis eos coercuisti. Idque pro-
fectò effecisti, ut, quantumvis severissimum de du-

D

ellis

ellis constitueris editum, Tibi tamen Patris pa-
triæ nomen & corona ob cives servatos debeatur.
Horret animus meminisse detestabilem illum mono-
machiae abusum Furiiis inferni fabricantibus, intro-
ductum. Ecquid enim crudelius, quam vitam, a
natura pro Reipublicæ defensione acceptam, ad
hominis oppressionem, calamitatemque conferre?
Et ipsis illis igne ferroque imitari, quos iisdem
mœnibus ac terris constitutos patriæ leges, jus
naturæ, & cœlestia documenta, amori nostro com-
mendarunt? Quid turpius, quam ruere belluarum
ritu in perniciem non necessariam? illudque mente
præcipiti discrimen appetere, cuius exitu sempi-
ternis viatos damnare cruciatibus, viatores autem
in aëre computrascere, sanctissima Regis volue-
runt instituta? quid abjectius & effeminatam ani-
mi mollitiem magis redolens, quam vel minimam
ab imprudentibus illata minjuriam ferre non posse,
& ausu sacrilegō, ob ærumnas occurrentes extre-
num vitæ suæ diem maturare? O duram & ferre-
am hominum naturam! O cœca mortalium peccato-
ra, inque propriam perniciem sœvientia! Pelion
Te & Ossam, Rex Severissime, illi sensere Briarei, quan-
do sceleræ legibus, furorem pœnis, temeritatem
Majestate, manum manu, vim vi superandō, illam
Reipublicæ pestem, legum ac justitiae turbamen-
tum, generosæ nobilitatis funus, religionis deho-
nestamentum ejecisti, exturbasti. Nullum jam ab
ista Erynni malum, nullum ab illa bestia exitium
Borussorum animos infestat. Multi antea formi-
dine pœnæ; jam virtutis amore monomachiam de-
testantur omnes. FRIDERICUS, FRIDERICUS
est, qui luem illam scelerum vindice gladio exter-
mina-

minavit, qui se ipsum Manliis & Catilinis in cædes
sævientibus interseruit. Cum Scipione Magno
mavult unum servare civem, quam mille hostes
perdere. O FRIDERICE *benignissime!* O Patriæ
servandæ cupiditas, quid non efficis, ubi semel re-
gios animos occupasti! Quod si judice Consule La-
tinorum eloquentissimô, ex coronis militaribus,
quæ fermè maximo honori Romæ fuerunt, eam
omnium nobilissimam arbitratus, quam civis civi,
â quo servatus fuerat, testem vitæ salutisque con-
servatæ largiebatur: Romanetiam pares Cæsari
gratias habere & agere quondam gestierunt, quod
orbis terrarum princeps factus, animum vincere,
victoriam temperare, manus à civium sanguine
potuisset abstinere; quas laudes, quas grates, quas
coronas debebimus *Invictissimo* FRIDERICO, qui,
quos liberos patria genuit, fecit fratres: quos vin-
dicta Circæo quodam poculo in bestia transforma-
rat, nativæ restituit humanitati: quos natura libe-
ros fecit, genuinæ & non fictæ redonavit libertati,
quæ in hoc consistit, ut DEO & sanctis ipsius legi-
bus pareamus. DEO jam & *Regi nostro* omnes vi-
vimus, jam discimus quam dulcis grataque hæc li-
bertatis aureæ fit possessio. Nullæ profusiones
sanguinis, aut rarissimæ inter nos audiuntur. Nulli
tumultus, turbæ nullæ, exoptata malacia in omni-
bus statibus & ordinibus nostras tranquillat inentes.
Cujus quidem rei luculentissimum documentum
solennissimus *Regiæ Inaugurationis* dies dedit: stu-
penda hominum multitudo ex variis locis hūc con-
fluxerat, moribus, linguis, habitu immane quan-
tum diversissimorum. Omnia plausibus, jubilis
personabant, non minus quam lætiori tubalium &
tym-

tympanorum classico. Largius indulgebatur Genio, evacuata liberius pocula, credidisse non illud hilaritatis tantum, sed jam insaniæ quoque ebibisse multos. Quæ hic non confusio distrahere animos à sacris solennibus potuisset? quam facile in rixas, in tumultus, inq; cædes cum funeralibus festivis illuminata vespera exarsisset? sed FRIDERICI hæc dies erat, dies quam Dominus fecerat. Sub pacatissimis Regis auspiciis omnia secundo defluxerunt alveo: Totus ille dies, conspirantibus in unum omnium animis, conspirante cœlo & terra in mutuam congratulationem, ut sine nubilis, ita sine omnibus molestiis in exoptata tranquillitate transactus. O diem dierum ad omne ævum, & seram posteritatem memorabilem! O prospera Regni Prutenici initia! Omina infecuturæ pacis certissima! O felicissimos Borussos sub *Augustissimo* FRIDERICI Sceptro. Quandoquidem verò nemo felix nisi comparatus, agedum, ut felicitatem nostram intelligamus, in illas regiones deflectamus oculos, ubi bellis civilibus luxatur & laxatur membrorum omnium compages, ubi judiciorum legisque divinæ de non effundendo sanguine humano, adeoque salutis omnis reverentia deposita, Dioxippus à Neoptolemo, Othrijades ab Euryale, lethali vulnere exanimati occumbunt, ubi nemo rerum suarum, ubi non hospes ab hospite tutus: aut ubi forinsecus Mavortis intonat tempestas, & nocentes pariter ac innocentis miseris cladibus involvit. Et fuit olim æque calamitosa patriæ nostræ facies. Tempore enim ordinis Teutonici, quot cladibus, & bellis miserè dilaniata fuit? Testantur hoc tot ruinæ arcium & castellorum, in quibus Bellonæ vestigia adhuc

adhucdum supersunt. Cesserunt jam, cesserunt
tristia illa tempora, succellerunt meliora, quæ nubi-
bus bellorum omnium pulsis, in ipso nos sinu, in
gremio tot jani annos exultantis pacis collocarunt.
Succlerunt cupressis lauri, buxi palmis distin-
guntur, & inter amabiles amoris myrtos blanda pa-
cis oliva utrobiique efflorescit. Hanc desideratissi-
mam pacis amœnitatem suo in has terras adventu,
sua nativitate significavit nobis, pulcherrima co-
lumba, FRIDERICUS *noster*. O Prussiam florentif-
simis jam regnis, si non amplitudine, felicitate ta-
men æquiparandam ! O terram frumenti fera-
cem, & variis eduliis, cum ad necessitatem, tum ad
gratam voluptatem abundantem ! O terram ob no-
bile & nunquam satis depraedicandum succinum,
toto orbe terrarum clarissimam ! O locum mariti-
mum, in quem importantur & exportantur res pre-
tiosæ, jucundæ, necessariæ ! Sed simul O terram, ob
almam, exoptatamq; pacem plane nobilem & tri-
umphantem ! Dei hæc est benignitas, FRIDERICI
Regis nostri Augustissimi felicitas. Quemadmodū Nu-
men ex justissimis causis irritatum mortalibus Furiæ
& ultrices Erynnes immittit : ita recordatus mife-
ricordiæ suæ pacificum Regem & cum eo, hæc nobis
largitus est halcyonia. Quam suaviter nunc in au-
reis divinæ gratiæ radiis meridionatur Borussia no-
stra ! Illa favente, sub FRIDERICI auspiciis, anti-
quum robur, florem, coloremque pristinum jam re-
cipit, & plenius se recuperaturam confidit. Et tu
Rex glorioissime, qua indolis magnitudine & bonitate
es, conceptas amplissimas de Te spes non æquare
tantum incipis, sed & vincis atque in posterum ma-
gis vinces. Pietatem, moderationem animi, im-

E

mo-

motum recti justique amorem, charitatem Patriæ, exemplo Tuo commendas omnibus. Ad optima & altissima quævis cum summis, tum imis alacer præire paras, pietate cum primis Tuâ, Clementissimum Numen nobis concilias, sapientia & fortitudine terrorem hostibus injicis, passim Tibi autoritatem & gloriam comparas. Habes Excelſiſſimum Regni & Electoratus Hæredem Filium: habes Serenissimos Fratres, excelsiſſimos Marchiones Brandenburgicos, in quibus ſpes posteritatis Tuæ conſiftit. Nec à publici boni ſcopo aberrabis, quoniam non, niſi Confiliariis optimis aurem præbes. Habes ad manum Miniſtres ingenio ſummos, judicio admirabiles, experientia probatiſſimos, Reipublicæ intelligentiſſimos, Tibi fideles, omnibus humanos. Habes fortiſſimos Bellonæ filios, legiones multorum annorum ſtipendiis cognitas, Ducesque incomparabiles. Habes devotissimos verbi divini præcones, pietatis studio unice deditos, Orthodoxos omnes, quorum ſupplicationibus avertetur ira vindicis ſupremi. Habes Magistratus & judices juris ſervantiſſimos. Habes Academias, & in illis celebratiſſimos Profefſores, qui intelligendi non minus, quam recte vivendi cynosuram diſcentibus præmonſtrant. Sic cum religionis & liberalium ſtudiorum honore, floret cura iuſtitiae, cura legum & boni ordinis, amor pacis, & virtutum omnium. Sunt bene meritiſ præmia, ſontibus poenæ. Caret ſcopulis omnibus Pregela, caret ſeditionibus tota patria. Sic rejuvenescit Aquila Boruſica, ſic porrò ſub auſpiciis FRIDERICI noſtri, ſqualorem ſenectutis plane exuet, ſic deniq; аſſumpto ſplendore veteri, ornamen‐to erit Majestati Tuæ. Hæc animo devotissimo ominatus, jam porro DEum T. O. M. Regum Regem ſupplex veneror, ut Divinæ ipſius Majestatis Pro‐Regem, una cum Auguſtiſſima Regiā Domō ſalvum, incolu‐mem, felicem, victorem, pacificum longè diuque eſſe jubeat. Det Ipsi vitam prolixam, felix regimen, imperium ſecurum, domum ſemper auguſtam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, & quæcunque hominis & Regis vota eſſe poſſunt.

ORA.

ORATIO II.

Quâ

JOANNES MELCHIOR à TETTAU, DE INSIGNIBUS **F R I D E R I C I S** **I N R E G I A D O M O P R U T E N O -** **B R A N D E N B U R G I C A**

Agens

A U G U S T I S S I M U M N O S T R U M R E G E M

Omnes MAJORES suos non exæquasle modo,
sed & longè superâsse ostendit.



Equaqueam profligato & vanissimo
quorundam subscribimus errori, quod
in indolem humanam juris aliquid
obtineant nomina, eandemque sic
immutare & disponere possint, ut ex
appellationibus, tanquam sideribus, certi quidam
virtutum vel vitiorum influxus mortalibus inspi-
rentur. Nescio tamen, quo pacto fiat, quod mul-
tis nominibus sua insint omina, & quamplurima
fatalia existant, sique comparata, ut, si non ipsam
mentem, irrefragabili imperio cogant, communi-
ter tamen vel prosperam, vel adversam comitem
secum trahant fortunam. Quod ipsum omnium
temporum memoria confirmat, testaturque orbis
quondam viator, armis non magis, quam sapientia
clarissimus populus Romanus, qui *Salviorum, Stati-*
orum, Valeriorumque nomina pro felicissimis habuit,
Nævii vero atro notavit carbone. Sed non pro-
lixus

lixus ero in excutiendis veterum annalibus. Non ab inferis evocabo veteres Ægyptios , qui *Ptolomæi* nomen pro felicissimo regibus suis sunt venerati. Non resuscitabo Perlas , qui *Artaxerxis* ceu auspicatissimum regibus suis imposuerunt nomen. Non e monumentis citabo inclytissimi quondam Ponti incolas , *Mithridatis* , ceu optimo nomine, reges suos semper salutantes. Non movebo Macedonum sepulchra , ut ex iis felices *Philippos* & *Alexandros* producam. Non scrutabor vetustos Romanorum cineres , ut ex iis *Cæsares* & *Augustos* auspicatissimos eruam. Quid enim ad emortua configiamus secula, cum opinio hæc hodienum adhuc altas, etiam inter Christianos, egerit radices? Galliæ , inclytissimi hac tempestate regni intremus limites, (si quos agnoscit) inveniemus illam gentem ab *Henrici* abhorrere nomine , ut si *Heccicum* dicas, omnium malorum lernam dixisse putent. Omnes enim reges illorum *Henrici* , excepto I. miserabili morte vitam finierunt. Hinc celebris quidam Gallorum poëta sequentem in modum canit: *Non amplius Reges Galliæ nominari debent Henrici;* *Mors enim per duos cultros & unum fragmentum lanceæ interfecit tres Henricos,* *unum equestri lancea ludentem in equo,* *alterum in conclavi suo secretiori,* *tertium in carpento.* Sed sicut in cœlo sui imbres pariter ac serenæ nubes, simili ratione & Gallorum, ob *Henricos*, mœrorem multo major *Ludovicorum* compensat gloria. Non sola autem Gallorum, sed & Scotorum natio istud experta est, quæ cum *Jacoborum* nomine, omnia in se mala fuisse effusa, in hunc usque diem luget. Et sane omnes, quotquot orbis aspexit, *Jacobi* fuerunt longe infelicissimi. Etenim, si quæritis

ritis aliquem, qui longinqua captivitate detentus,
totius imperii thesauro se redimere coactus est, aut
quod majus, quem subditi infideles cruenta inter-
fecerunt morte? *Jacobus I.* est. Desideratis aliquem,
qui sexennis subditorum perfidia, bombardæque
ruptura periiit? *Jacobus II.* ille est. Scire cupitis re-
gem corporis robore, formaque cœteros sui seculi
æquales multis parasangis superantem, magno,
plus quam regio, præditum animo, omni scienti-
arum genere exultum, infelicem vero, & a subdi-
tis vita pariter ac regno privatum? *Jacobum III.*
aspicite. Vultis adhuc alios, qui alterius inhian-
tes regno, non proprio tantum, sed & vita exci-
derunt? *Jacobum IV.* & *Vtum* contemplamini. Quis
miretur proinde, si fortis Scotorum Gens infau-
stum Jacobi, ceu pestem, devoveat nomen? Non re-
ges enim, sed fortunæ potius pilæ appellari meren-
tur. Gaude contra beatissima Hispanorum regum
sedes, exulta inquam aurifera Tagi regio; Ample-
ctere *Ferdinandum tuum & Isabellam!* Hæ gemmæ,
quæ te ornant; Hi muri, qui te protegunt; Hi so-
les, qui quamdiu radios tibi mutuant, splendorem
tuum conservant; Hæc aurora, quam, ut sœpius
redeat, anxiis expetis votis. In Daniam si liberet
enavigare, *Christianos & Fridericos*, fortunata regno
sidera adorari inveniremus. Alios præterea, qui
bus fatalia sunt nomina adducere possem, familiam
scilicet Comitum de *Reussen & Schwartzburg*, qui li-
cet Galli infaustum *Henrici* sibi persuadeant no-
men, præ cœteris tamen illud sibi elegerunt. Ita
enim constituta est hominum natura, ut ejusdem,
quod disciplicet alteri, alter desiderio trahatur.
Sed hoc, ut dixi præteribo. Nec dicam de fami-
lia

F

lia Bünoviana, quæ cœteris fato abreptis, in fati
istius horrendi memoriam, tria superstitum elegit
nomina, ceu felicia dignaque, quæ totius fa-
miliæ cedant denominationi. Sed & hoc silen-
tii peplo involvam, cum in *Augustissima Regis nostri
Domo*, satis superque eadem contulerit fortunæ be-
nignitas. Gloriosa ibidem reperimus nomina,
omnibus tamen FRIDERICI palinam præripit,
in quo redivivam Cæsaris felicitatem, Augusti li-
beralitatem, fortitudinem Trajani, Antonini pie-
tatem, sapientiam Aurelii, Vespasiani clemen-
tiā, magnificentiam Constantini, Ottonis poten-
tiā, Ferdinandi gloriam, Ludovici encomia ceu
vivis depicta coloribus deprehendimus. *Fauſtis-
ſimum hocce nomen*, & in eō FRIDERICOS, tot re-
rum magnarum autores, totidemque *Augustæ Pru-
teno-Brandenburgicæ Domus* soles lucidissimos ado-
raturus adveni, nihil aliud ab Auditoribus O. O.
H. expetens, quam ut benigni audiendo esse, &
quæ nomen FRIDERICI decent, halcyonia dare
velint dicenti.

Negare quidem non possum, ut omnes supe-
riorum ætatum, ita & hanc *Augustissimam Domum
Brandenburgicam* speculum fuisse blandientis fortu-
næ, verissimumque testimonium, quod omnia tem-
pus ad perfectionem sui requirant. Sic DEus ipse,
ut hanc regulam impatientibus mortalium animis
inculcaret, sex consumpsit dies, ante quam vastam
orbis molem redderet perfectam. Non tam cito
surgit quercus, si vel pretiosissimis unguentis
quotidie eandem tingere velles, sed gradatim de
die in diem ad destinatam tendit proceritatem.
Neque architectus, licet sit peritissimus, palatum
ex-

exædificare potest , nisi prius jaciat fundamen-
tum, muros deinde imponat, & tandem lateribus
tegat, sicque gradatim totum perficiat opus. Pari
ratione *Augustissima Domus Brandenburgica* inter
asperrimas horridarum laborum quasi spinas enata,
tempore & crevit & perfecta est. Originem Ejus
si altius scrutari velimus , deprehendimus nonnul-
los, qui FRIDERICUM I. Comitum Zolleranorum,
parentem nuncupare velint; Sed contradicunt ho-
rum sententiæ annales, qui expressè testantur, jam
ante FRIDERICI hujus tempora , Comitum Zolleran-
orum famam totum peragrasse orbem. Sunt rur-
sus alii, qui a *Carolo M.* eorum nativitatem dedu-
cere conantur; Sed neque in hoc omnibus eadem
firma stat sententia. Invident scilicet fata tantæ
scientiæ gloriam mortalibus, neminemque eorum
inveniunt dignum, cui stirpis divinæ potius, quam
humanæ ortum aperiant. Negent licet alii FRI-
DERICUM tuisse *Augustissimæ Gentis* parentem, ne-
mo tamen nisi sana mente privatus inficias ibit, *Au-*
gustissimam hanc Domum omnia incrementa sua
splendidissimis *Fridericorum* nominibus debere.
Etenim si aquilam dices *Domum Brandenburgicam*,
quæ, licet solis radii ejus occœcare velint oculos,
omnia tamen impedimenta superat, constanterque
eosdem intuetur; FRIDERICI certe & oculi &
alæ, quarum ope summam aëris ascendit regio-
nem, erunt. Si solem dices, qui licet multæ tene-
bricosæ nubes , ejus impedire velint radios, per
omnes tamen penetrat, solitumque perficit cur-
sum ; FRIDERICI certe & currus, & rotarum, &
aurigæ, & equorum vices explebunt. Si rosam di-
ces, quam spinæ circumcircà ambiunt; necessariò
FRI-

FRIDERICI folia erunt, quæ suaviorem indies
stirpi conciliant formositatem. Si columnam di-
ces; basin faciunt *quatuor Friderici Comites Zolle-*
rani, Heroes invictissimi, qui fundamentum tanti je-
cerunt regni, qui tot Achillum, tot Ciceronum,
tot triumphatorum, tot *Serenissimorum*, quos sup-
plex adhucdum adorat Germania, quos *Augustissima*
hæcce Columna latera & apicem agnoscit, FRI-
DERICORUM extiterunt parentes. Non con-
tentata fuit *Augustissima Fridericiana proles*, divulgata
per omnes Europæ angulos Majorum fama. Sem-
per altiora petit virtus; semper generosus animus
majora cupit. Lacrymas emittebat Cæsar Ale-
xandri statuam aspiciens, quod minor ætate ma-
jora perfecisset. Pari ratione nec quietum habu-
erunt animum heroes nostri invictissimi, & inter
illos *gloriosissimus FRIDERICUS I.* antequam avitæ
majorem addidisset gloriam, *Norimbergici Burggra-*
vius dignitatem. Illum dico FRIDERICUM I.
qui inter *Norimbergenses Burggravios*, hujus nominis
primus, stirpis Augustæ adeo, adeo felicis caput,
tantum operum gessit, ut *FRIDERICUS II. Imperator*,
ejus candore, modestia ac fortitudine
commotus, privilegii, quod Patriarchæ Aquile-
jensi impertiebatur, testem eum nuncuparit. Vi-
detis radicem gloriosissimam, ex qua tot fructus
Augustissimi pullularunt, qui plerique ut nominis
ita & gloriæ extiterunt heredes. Migrat scilicet
cum prædecessorum sanguine in posteros avita vir-
tus, nec definit *FRIDERICUS* vivere, quia in
Successore sece relinquit. Hic *FRIDERICUS II.*
erat, qui dignus est visus, cui *Comitatus Abenbergici*
incolæ cervicem submitterent, & teneræ ætatis
juve-

juvenem suum salutarent comitem. Gliscabant
jam tum in tenerâ ætate diviniores igniculi, qui
mox in flammam erumpabant. Pietas scili-
cet in eô citius quam ætas adolevit, dum brevi vi-
tæ ævo tām ingentia Monasteriis Ecclesiisque con-
tulit beneficia, ut si vel integris fœculis patraren-
tur, decedere gloriæ eorum nihil quicquam pos-
set. Gratulabantur sibimet subditi de tanto Prin-
cipe, medius verò inter gratulantium votorum ac-
clamationes, splendidissimus Germaniæ sol, fato-
rum vi extinguebatur. Istud autem cœli deliqui-
um felicior FRIDERICI III. successio expiavit.
Movit Majorum virtus Wilhelmum Hollandiæ Re-
gem, ut ipsi investituram Burgundicarum quarun-
dam Dynastiarum petenti sine mora quam splendi-
dissimè nimirum deferret. Hic est FRIDERICUS
ille III, cuius amicitiam providus rerum suarum
Conradus IV. anxie expetebat, satis gnarus non
parum commodi, si comiter eum haberet, rebus
suis impendere. Hic est ille FRIDERICUS, cuius
prudentia omnes Christiani orbis Principes in ad-
mirationem rapuit. Maxime enim à primis usq;
incunabulis, ut animo eandem imprimeret, dum
omnia, quæ dicitat prudentia, magna solertia ex-
cepit, majore diligentia observavit, felicitate ma-
xima explevit. Cujus prudentiæ inter multa præ-
clarè gesta testem nuncupare possum Rudolphum
Habsburgicum; Hujus capiti, Friderici prudentia Cæ-
fareum imposuit Diadema. Hujus dextræ impe-
riale obtulit pomum; Hujus sinistram sceptro tanti
decoravit Regni. Sed alia plura prudentiæ alle-
gabo specimina: Hostibus armata manu sæpe ju-
gum imponit, qui solius fortunæ nititur patroci-
nio;

G

nio;

nio; sed consiliō eosdem ad saniorem redigere
mentem, prudentiam insignitam requirit. Quare
facilius longe est hosti vi arma excutere, & per-
dere obnitentem, quam vincere argumentis. FRI-
DERICO nostro ad utrumque ex dignitate pari-
ter ac litigantium commodis conficiendum in nu-
merato virtus fuit. Erant inter Rudolphi duces
fortissimos, qui Episcopum Basilientem & postea,
temporis Regem Ottocarum, nullā re aliā ad pa-
cis conditiones cogi posse, quam vi armatā, arbi-
trarentur. Quorum tamen conjecturis *Friderici*,
quem Rudolphus mediatorem designaverat, pru-
dentia felicior, docuit omnes, nihil esse, quod ea-
dem non posset superare. Tanta erat Regis Ot-
tocari perversitas, ut omnes pacis conditiones,
quas FRIDERICUS præscripserat, pro suo inge-
nio, ad pertinaciæ & libidinis modum interpreta-
retur. Multi quidem clarissimi belli duces cona-
tibus ejus frenum imponere conabantur, sed fru-
stra, quasi suspendentibus tantæ victoriæ gloriam
fatis, & FRIDERICO assequendam attinentibus
ceu soli, qui fatales nebulas istas discussurus erat.
Splendent in Romanorum annalibus ad fastum us-
que Camillorum, Manliorum, Scipionum, aliorumq;
nomina. Magnæ gloriæ corona fuit ob Civem
servatum; sed tu, Dive FRIDERICE, unus totius
imperii conservasti autoritatem; Tu Cæsaris am-
plificasti gloriam; Tu, quotquot ex sinu gloriosissimo
protulisti consilia, tot oracula, tot victorias
Rudolpho obtulisti, amplissimosque Germaniæ li-
mites accessione nobilissima regni Bohemiæ pro-
latasti. Testis est devictus & imperfectus Rex Ot-
tocarus; Testes occisorum hostium albentes Bo-
hemо-

hemorum campi; Testis gratissimus, meritorumq;
Tuorum memor Imperator Rudolphus; Testes de-
nique tot tantaque innumera, remunerationis
qualiscunque loco feuda Tibi tradita, *Dynastiam*
puto *Seefeldensem* ac *VVonsidensem*, aliasque præcla-
ras in Franconia sitas ditiones. Sed variæ sunt
rerum humanarum in hoc sublunari theatro vices.
Lucidissimum hoc Germaniæ sidus fato abripieba-
tur. Quid mirum, quod maximam sui reliquerit
admirationem & desiderium? Moderata tamen
isti dolori sunt mitiora fata, quæ **FRIDERICUM**
IV. *Burggraviorum* purpura ornatum Germaniæ re-
donarunt, qui paucorum annorum juvenis, tot re-
gimini clavo admotus, triginta duos imperii an-
nos, totidem victoriis memorabilibus inter innu-
mera togatæ virtutis experimenta alia illustravit.
Hic est Italorum perpetuus terror, Bohemorum
pernicies, expeditum ac grave aliorum omnium
Henrici VII. Imperatoris hostium fulmen terribile.
Hujus invictæ manus ope Cæsar is filius Pragam,
Metropolin expugnavit. Hic vindicata Cæsa-
reà Majestate, peragrata continuis victoriis Ita-
lia, capta Roma, urbe omnium Italiæ & munitissi-
ma & splendidissima, quam Pontifices tot integris
ferè seculis inexpugnabilem redditerant, tantum
sibi gloriæ apud mortales omnes conciliavit, ut
nulla ora, gens nulla, nullus remotissimus orbis ha-
bitabilis angulus sit, ad quem Augustissimæ ejus
virtutis fama non pertigerit. Potentissimus Ger-
maniæ ille princeps, Fridericus *Austriacus*, & prima
ætatis face, & spe ambitiosa, & viribus immane
quantum numerosis humana supergressus, absor-
bendam sibi velut ferali quodam diluvio Ludo-
vici

vici Bavari terram destinans, quasi in totum hum-
manum genus exercitum ducturus, ignota etiam
sibi ipsi gentium nomina conciverat. Jam officia
Cæsareæ Majestatis dividebat. Jam captivato
velut Cæsareo diademate, quod propediem in
triumpho ducere volebat, militari insolentia exul-
tabat. Sed hæc insolita hostis ferocia, nihil ani-
mum Tuum heroicum, dive FRIDERICE terre-
bat. Tu aras a militum impietate fœdissima,,
focos a crudelitate immanissima, templa a profa-
natione scelestissima, terras a vastatione miserri-
ma, conjuges ac liberos a servitute durissima,
omnes & singulos ab intolerabili tyranni jugo &
feliciter & celeriter liberasti. Te Imperator Lu-
dovicus ob fidelia & devota obsequia in die dimi-
cationis cum Friderico Austriaco, quem propria
manu captivum Cæsari adduxisti, inter innumera
beneficia alia Feudo civitatis Curiæ in Franconia
sitæ donavit. Nunc ad Te se mea convertit
oratio, *Serenissime Princeps*, FRIDERICE V. Ni-
hil in proavis tuis, avis, parente, quod non jure
in Serenissimum tuum caput applicare possim.
Sed quis dicere potest omnia, quæ tantus splen-
dor requirit? Te laudatissimus Imperator *Carolus*
IV. unanimi omnium consensu Imperii Germanici
Campiductorem nominavit. Tu rebus prosperè
gestis totius Alsatiæ Præfecturam obtinuisti. Te
Cæsaris filius præ cæteris sacerorum elegit. Utinam
jam mihi foret integrum, migrare oratorum le-
ges, & ad divinos Poetarum latices deflectere!
precarer Eloquentiam ipsam, ut damnata infan-
tia mea dicendi de FRIDERICO, præcipue au-
tem de successoribus Augustissimis partem, ipsa sibi
sume-

ret. Ambigo tamen, an dignam triumphatori-
bus incomparabilibus orationem sit inventura..
Dedit id vobis suprema Majestas, *Serenissimi prin-*
cipes, ut cum de universo genere humano bene
mereri nunquam desinatis, nemo tamen vobis
conveniens conscribere possit elogium. Ille est
sacratissimæ vestræ gloriæ apex, quod ad eam per-
tingere, nulli, licet eloquentissimo Oratori liceat.
Ego certè si hic attonitus, ceu altiora aggressu-
rus pedem figerem, quantum admirationis apud
alios omnes, tantum veniæ in divina principum
clementia me reperturum, fiderenter mihi admo-
dum pollicerer. Altissimum montis cacumen ascen-
dere conor, per aspera tamen enixo, duriora re-
stare, & crescere montis altitudo videtur. Jam
in *Serenissimorum Burggraviorum* encomiis, lingua
deserebat dicentem; quid mirum, quod dupli-
cata Majestas obcœcet oculos, in stuporem rapiat
mentem? Sed quid lamentor? quis unquam Hero-
um laudes digne fatis deprædicavit? A Serenissi-
mo principum splendore, oratio quoque mea lu-
cis aliquid accipiet. Novam ergo orationis ex-
ordior telam, quod ipsum FRIDERICI I. virtus
& nova dignitas requirit. Major omnibus An-
tecessoribus fuit felicitate, qua innutritos innu-
meris haec tenus bellis populos ad sacra pacis mitio-
ra studiosus revocavit. Major prudentia, quæ
tanta in *Gravissimo Electore* fuit, ut beata hoc cœli-
tum deposito Germania, suos Græciæ Solones,
Lycurgos Lacedæmoni, Gothis Zamolxides,
Pompilios Romanis nequaquam invideret. O-
mnes quidem aliæ virtutes, si gloriosas principum
mentes addictas sibi ac obsequentes habent, mo-

H

men-

mentum ad felicitatem & gloriam afferunt maximum , semper mihi tamen , in prudentia singularis aliquid atque divini esse visum est. Bellicæ quidem artes , splendidissimum sunt principum ornamentum , sed hæ tantum , inter rabidas Martis tempestates , non vero sacro pacis tempore in pretio sunt. Clementiæ & fortitudinis specimina non tantum a principibus , sed & non raro ab ipsis brutis edita sunt. Temperantiam ipsa quandoque necessitas inculcat. Mansuetudinem in viliori quadam animâ deprehendas & inter inferiores cali videas. Sola prudentia principis virtus , imo fere divina est. Nullum negotiorum pondus , temporis momentum nullum est , quod vacare ea possit ; Et in belli intemperie , & aurea inter pacis blandimenta suum sibi vendicat locum.. Schola hujus Friderici prudentiæ totus fuit terrarum orbis , quem dum prudentiæ causa peragrat , latere non potuit ; præceptores , tot tantaque prudentiæ edita specimina ; Excercitia , res sagittæ & togatæ præclarè gestæ ; præmia , victoriæ , nova dignitas Electoralis , perpetua apud posteros memoria. Movit tanta virtus , cui in totius Germaniæ sinu , ne ulla quidem similis educabatur , Germaniæ proceres , ut ipsum licet juvenem copiarum Imperialium præfatum non tantum , sed & Electorem , eoque persuadente , Sigismundum Imperatorem crearent . Movit Sigismundum , ut ipsum administratorem Cæsareæ Majestatis per totum Germaniæ Imperium denominaret , ea conditione , ut sicuti imperator parem potentiam in omnibus Imperii provinciis excercere possit. Hoc

ta-

tamen inter plurima alia in victoriosissimo Ele-
tore admirandum venit, quod Sigismundus Im-
perator, optime gnarus, se ejus prudentia ad Im-
periale solium fuisse promotum, aurum corona-
rium omne, quod Civitates Imperiales in Svevia,
Franconia, Alsacia, Bavaria, ad Rhenum, in Wet-
teravia, aliisque Imperii provinciis sitæ pendere
solebant, remunerationis qualiscunque loco, ipsi
dono dederit, omne jam tūm factō, fore, ut no-
va dignitas in hanc stirpem aliquando esset deri-
vanda. Videlis A. O. jam diu aurum regiæ coronæ
fuisse præparatum? Sed caput nondum aderat, cui
corona ista aptaretur. Aliquantum quidem fata
blandiebantur, cum FRIDERICUM II. ad Polo-
norum & Bohemorum vocarent thronum, sed
magnanimus Electoris animus coronam asperna-
batur oblatam, aliam ambiens, quæ labore & vir-
tute compararetur. Neque mirandum, quod Po-
loni & Bohemi, Polycratis felicitatem, Xerxis co-
pias, fortitudinem Camilli, magnum Decii ani-
mum, Pompeji triumphos, Hannibalis peritiam in
unius FRIDERICI gloria virtute videntes, ip-
sum exoptaverint Regem; Omnia eorum, quæ
in Rege, Duce, milite, cive, patre admirari sole-
mus, compendium in unico FRIDERICO exa-
ctissimum reperimus. In pace ejus gloria non ab-
solevit, quæ tam admiranda in rebus bellicis in-
crementa sumpserat. Berolinum urbem nostri
ævi elegantissimam pariter ac munitissimam, ar-
cem insimul quondam splendidissimam, quæ jam ut
Phœnix e cinere resurgit splendidior, ædificavit.
Concilii Basiliensis FRIDERICUM nostrum Cæ-
far,

far, viginti annorum juvēnem protectorem denominavit. Illis tamen oculis, in quibus Vespasiani delicias legimus, ad terrendum hostem, ad militis sui virtutem accendendam utebatur. Illæ manus, quæ summa humanitate, æternam beneficiorum memoriam subditorum pectoribus imprimebant, piaculari hostium crux toties imbuebantur, toties gratulantium osculis fatigabantur, toties hostile jugulum ineffabilis fortitudinis ferro lacabant; Augusto illi capiti, quod saluberrimorum in pace officina extitit, nunquam galea bellica oneri fuit. Plura dicam: Tota ejus vita, triumphus fuit continuus, sed in quo, moderatio, clementia, prudenter, diversissimæ a militaribus ingenij virtutes aurigarentur. Sed quid ego in istis percensendis adeo occupatus sim, quasi Poloni Francofurtum ad Oderam obsidentes, tot cæla armatorum millia, gratisimaque obsidione liberata Civitas non satis loquantur? paucis me absolvam: FRIDERICUS *cum ferreis dentibus* fuit, qui, ubi vestigia, ibi trophæa fixit, quo pedes, ibi terrorem intulit hosti, amicis terrestre quoddam ostendit numen, in quo socii auxilium, subditi patrem invenerunt, posteritas vero spirans & vividum gloriæ admiratur exemplum. Exactis tandem sine molestiæ sensu sexaginta septem ætatis annis, subditis desiderium sui, exemplum filiis & successoribus reliquit. Ex his JOACHIMUS FRIDERICUS, *Elector laudatissimus*, non longo post tempore vestigia ejus pressit. Hic togata autoritate litem, quæ vehementer admodum inter Pontificios & Protestantes in Archiepiscopatu Magdeburgensi agitabatur, composuit,

suit, & excercentes haec tenus perpetua, adversus Protestantes odia, Pontificios, assumpta Protestantum religione, æquis legibus in ordinem rededit, jam id tum accurante cœlo, ut is, cuius posteri ingentia victiarum pensa absoluturi erant, domi quoque res quam maximè tranquillas habebret. Adjecere mox *gloriosissimo Electori* fata novam purpuram, dum solem hunc splendidissimum in suo quoque cœlo enitescere voluerunt Prussi, jam id tum agentibus fatis, ut regionum earum, quæ ipsi maxime vicinæ sunt, virtutem & vires, unus quoque moderaretur. Sed non plura verba faciam, cum ad **FRIDERICUM WILHELMUM** mea perveniat oratio. Hujus virtutes, defixa in stuporem mente venerari quidem, sed dignis encomiis celebrare, nondum didicimus. Quid enim? si ad togæ illustres curas convertamur; quis unquam divis celsissimi herois prudentiam, dicendo se affecteturum putet? si ad belli facinora attendere animus est; incusanda mihi aut levitas venit, aut confidentia, qui tot librorum jugem materiam, tam brevi pagellarum compendio comprehendi posse, sum arbitratus. Hic, dive **FRIDERICE WILHELME**, repetendi essent illi campi in quibus insolitam hostium ferociam coercuisti! Inspicienda turpis eorum fuga, qui libidinis & pertinaciæ typho inflati serò demum didicere, qualem **FRIDERICI** fortitudo prædonibus infligat pœnam. Sene certè felicitatem perpetuam in *Stirpe Brandenburgica* virtutis pedisse quam, cum auspiciis *Magni Electoris*, concatenatis, inter perpetua virtutis Brandenburgicæ experimenta, victoriis, toties

delerentur. Id verò in omnibus, quas virtus FRIDERICO WILHELMO peperit, victoriis, cum stupore maximo, accipiendum est, parvam eum semper in hostem manum duxisse, stragem vero magnam in eodem edidisse; plerumque ab hoste copiis, felicitate & virtute nunquam fuisse superatum, quasi id perpetuum cœlitum consilium esset, ut penes hostes, Darii in sola copiarum multitudine spem suam ponentis, apud *Electorem* verò glorioſissimum, Alexandri fortunam moraretur. Sed quid de re ad solis mensam posita plura verba faciam? quasi tot tantaque trophæa in subditorum pectoribus heroi invictissimo erēcta non satis loquantur. Nihil vicit, quod vinci posse alii arbitrarentur. Aggressus nihil, nisi de quo alii desperasset. Audi posteritas; Audite seculorum omnium, si quæ hoc nostrum sequentur, Oratores! Habetis æternam dicendi materiam, FRIDERICUM WILHELMUM, maximis majorem, fortissimis fortiorum, qui potentiam nullam timuit, quod sua nunquam abutetur; Invictum nihil sensit, quia vinci incomparabilis ejus indoles nunquam potuit. Jure Tibi, *Augustissima Domus Brandenburgica*, in symbolum ponere possum arborem, continua successione in ramum argenteum subolescentem, cui, ex Marone epigraphen adjicerem:

--- -- *Uno avulso non deficit alter.*

Utomnes intelligent, Te optimos procreare principes, & merito dubitent posteri, an avulso successerit aliis, an idem redierit. Sed jam & idem rediit, & aliis successit. Idem rediit, quia Parentis fortitudinem, Avi gloriam, majorum virtutes omnes de-

deprehendimus. Alius successit, quia omnia, quæ
in Majoribus laudare potui, ne minimam quidem
Regis nostri Clementissimi gloriæ faciunt parti-
culam, hinc melius Majestatem istam silentio quam
encomiis venerabimur. Non jam amplius Sere-
nissima arbor argenteum procreasti ramum; Au-
reus est, ex coronario conflatus auro, quo Sigis-
mundus FRIDERICUM I. donavit. Putatis A.
O. sine fatali Numinis providentia FRIDERI-
CUM II. oblatas Poloniæ ac Bohemiæ respuisse co-
ronas? Digniori asservabatur Regiæ coronæ Ma-
jestas, FRIDERICO scilicet *Regi nostro Augustissimo*,
qui, ut aurum pretio argentum, cæteros hujus no-
minis majores superat. *Te, Augustissime Rex*, quo-
ties dico, breve habes gloriarum omnium com-
pendium. Sed non aquila sum, ut intortis oculis
splendorem Regium, vel solis majorem radiis in-
tueri possim. Persona Tua, *Augustissime Rex*, hor-
rorem secretum, virtus infantiam, Majestas silen-
tium imperant. Jam in Serenissimorum Majo-
rum laudibus ignorantiae caligo & oculos & men-
tem perturbabat; Tuas vero, dum breviter tan-
tum perstringere conor laudes, omni Eloquentia
majores, talpa cœcior subsistere cogor, Tuamque
divinam implorare clementiam, ne majora aggref-
sus, quam infantia permittit, peccasse videar.
Nihil proinde superest, nisi, ut, qui majoribus ma-
jor virtute & dignitatete existis, eos quoque diu-
turnitate & vitæ & imperii superes, Brevia sunt,
quæ vides, sed non mea tantum, ceu minimi e Tuis,
sed totius Prussiæ vota, quam indignam ad id, quod
jam Majores vaticinati sunt, extulisti honoris fa-
stigi-

stigium; Prussiæ, inquam, quæ similia fata à *Celsissimo Coronæ & Electoratus Herede* expectat, qui quod tam felicissimo superbit nomine, ut Tuas non tantum, *Augustissime Rex*, laudes adæquet, sed &, sicuti Tu, Majorum Tuorum superet, unanimiter precamur. O DEus exaudi humillimas gratantium voices! Serva *Augustum, pium, felicem, triumphatorem FRIDERICUM, Regem nostrum Clementissimum!* Serva libertatis nostræ, fideique purioris assertorem fidelissimum! Serva Patriæ Patrem, una cum Conjuge *Augustissima, Celsissimoque Regni & Electoratus Herede.* Omnes vos, quotquot hic adestis, boni Cives, in hæc erumpite vata: Vive, *Augustissime Rex Deo;* Vive propriæ gloriæ; Vive nobis omnibus diutissimè, gloriosissimè, ut perpetuum habeamus cultus & obsequii subiectissimi incitamentum. Imple, ô DEus hæc vota, imoda longè plura, quam vel nos, vel omnes *Augustissimi Regis nostri* subditi optare possumus. Quod ipsum non ego tantum, sed omnes qui hic, *Augustissime ac Potentissime Rex, Domine Clementissime,* ad fidelis obsequii cultum testandum comparuerunt, precamur.

Dixi.



Fälln? auszugew.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

07. Aug. 1995		
19. Jan. 1996		
05. Aug. 1997		
19. Sep. 1997		
12 Nov. 1999		
misc. 100/1010167101057	:	30749652X
mus. 103	-	307497267
2000	mus. 105	- * - : 307499553
	mus. 107	- * - 307502856
misc. 78	digitalisiert ppu:	307495663

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0125630

Rara!

